

enumeravere obiecta, per lumen conspiciuntur. Et ipsum, est sibi ipsi instrumentum, ut conspiciatur. Inter enim radios uno modo conspicitur, alio ubi radii non sunt, claritate sua se se pandit ubique, quamvis aliter visatur, quam colores. Qui omnes terminata in superficie visuntur, lumen autem nullo terminatur termino, et sicuti susum est, ita fuse cernitur quoque. In cubiculo clauso, et obscuro, nullum inest lumen. Illata, vel accensa in eo candela, flamma corpore lucido luceque ipsa, et radiis, illico totum illuminatur. Luce ergo adveniente, præsentique ea fit illuminatio. An vero, et radiis præsentibus, qui nulli ex candelæ illatæ flamma cernuntur emicare? Sane si quis, aliquantulum discedat a candela, et conniventibus oculis eam intueatur, lineas sive exiles conos qui radii dicuntur distinctissimas, a luce promicare intuebitur, sed finiri, haud ita multum a luce digressas cernet, lumen autem longius, quam vis minus fulgens quam radii progreditur, ac totum cubiculum illustrat. Quod in solaribus quoque radiis accidere videmus. Quid ergo, a luce ne lumen ortum habet? An vero tantum a radiis? An ab his et illa? A luce quidem oriri lumen rationi videtur consonum, quando sine luce, nullum cernitur lumen. Nam si a luce radii promicant, cur ab eadem lumen etiam non emanet? Cum et hoc et illi fulgores, et candores luci similes appareant? Huic rationi, ratio alia videtur posse repugnare. Nimirum, quod dixerimus a lucis qualibet particula, ac fere puncto radios micare. Qui basibus suis latiusculis, superficiem lucis totam occupant. Quod si verum sit, locus in luce a radiis vacuus relinqui non videtur, ex quo, lumen a radiis aliud, promicare queat. Sin vero promicat, cur minus quam radii candidum promicat, et minus fulgens. Videntur enim radii, et candidiores longe, et fulgentio res fuso lumine esse. Cur ergo ab eodem fonte candidissimo, alii magis, aliud minus fulgens effulgeant? At ab eadem causa naturali, non impedita, idem semper nascitur effectus. Non ergo a luce unica, et uniformi, duo effectus inter se diversi pronascentur, radii candidissimi, et lumen minus candens. Non ergo a luce lumen orietur. At et lumen diaphana illuminat, ut radii. Lucidum ergo fontem etiam lumen habet. At fons hic, lux illa primaria non est, a qua radii emicant. A radiis ergo qui secunda sunt lux, pronascentur, et quia radii a luce oriuntur, lumen vero a radiis, lumen quoque a luce per radios orietur. Itaque lumen tertia quædam erit lux; radii lux secunda. Neque mirum, cur lumen minus fulgeat quam radii, quando radii quoque minus, quam lux primaria fulgent. Prima enim in uno quoque entium genere, sunt etiam summa. Et quod primo propinquius est, et principalius est, et potentius. Primo igitur gradu lux est, radii secundo, lumen tertio. Familiariore experimento candelæ in cubiculum illatæ, id patescit. Subito namque illuminatur totum. At lux ipsa vivacissima est. Circa lucem vero vivacior est radiorum fulgor, quam longius progressis. Lumen vero a radiis se se effundens, minus etiam quam radii fulget, et magis etiam fulget ad radiorum radicem, quam vel in medio, vel ad apicem. Itaque triplex in singulis radiis fulgor, initio, medio, fine, prout proprus aut longius a luce ipsa progrediuntur. Eadem ratio est in lumine. Fulgentius enim est ad partem radiorum fulgentiorem, minus ad medium, minus quoque ad finem. Post quem languidius sensim sit semper, ita ut ad cubiculi angulos pro eius magnitudine, vel languidissimum apparet, et splendor potius, et nitor, quam lumen; vel etiam iam umbrescit. Quibus sane eventis colligimus duo. Alterum, radii usque ad angulos non perveniunt. Alterum quod lumen, a radiis differens sit res, et eorum proles. Ergo lumen non a luce prima, sed a radiis emanat. Vel ergo integris permanentibus radiis, lumen ab eis funditur, vel radii, dum deficient, a lateribus, et apice, funduntur in lumen. Ita ut lumen, res non sit alia, quam radius fusus, et radius itidem non alia res sit, quam lumen unitum, ac in se collectum. Vel etiam verius, lumen est fulgor, a radiis, luceque profusus, et radii instrumentum sunt lucis, lumini fundendo, ac diffundendo, vel lucis, effundendæ in lumen ac propagandæ. Sive igitur a luce ipsa, sive a radiis sive ab utrisque lumen emanet; communia quædam cum radiis habet, quorum perpetuus est comes. Nimirum quod et ipsum fulgeat. Quod momento emicet. Quod æthera, aerem, aquam, reliqua omnia diaphana momento penetret. Quod ea se ipso impleat. Quod usque ad terram, et ultra etiam diffundatur. Quod quaqua versus effundatur. Quod